

Textuum, qui Diebus Solemnium Precum in Ecclesijs proponuntur

BREVES HOMILIAE

Anno 1666. Die 1. Solemn. Precum (15. Junij)

Concio 1.

Paralceye: *Deut. 10. vers. 12. 13. appl. ad præsentem diem & textum.*

Textus Deut. 32. vers. 1. -- 7.

Exordij loco, dicatur summa & cohærentia trium harum concionum ex Deut. 32. cap. Sic Concione I. continetur summa capitii, præcipue hujus cantici, vers. 1. *Conc. II. Inuicti datus clementia Dei erga hunc populum, v. 9. & seqq. & populi ingratitudo. v. 15. Conc. III. Pœnæ, v. 23. & seqq. & exclamatoria admonitio, v. 29.*

Partes: I. Textus explicatio. II. Applicatio.

In I. Textus nimirum *Explicatione*, sciendum quod hoc capite contineatur Canticum Mosis, & quidem ultimum, Dei iussu Israelitis exhibitum, (benedictio a. ejus legitur capite seq.) Hujus a. cantici Not. (A) *Ocasio*, ex capite pæcedenti, ubi iterum promittitur ingressus in terram promissam, & progressus, v. 2. - 6. prædicitur eorum apostasia, & hanc sequituræ pœnæ, v. 16. - 18. Hæc prædicit Deus per Mosen, atq; ut ea firnius in animis illorum hæreant, iussus est Moses ea *Cantico* in-

A cludere

² cludere, quod omnes discerent, &c. vers. 19. seqq.

(B) Exordium, quod comparatum est ad excitan-
dam (1) Attentionem. v. 1. Audite cœli quæ loquor, au-
diat terra verba oris mei; Ad cœlum & terram hæc
verba diriguntur per quandam prosopopœiam, quæ
in S. S. est usitata, ut rei indignitas magis exprimatur,
quod creaturæ irrationales, imò inanimæ promptam Deo
obedientiam præstent, quam creaturæ rationales ipsi dene-
gant. Legatur & conferatur Deut. 4. vers. 2b. Esa. 4. v. 2.

(2.) Benevolentiam, v. 2. stillet ut pluvia doctrina mea,
pulcherrima hæc est similitudo, quæ quidem fusè diduci
potest, sed breviter, sensus hic est: quemadmodum plu-
via plurimis minutis guttis defluens terram madefacit &
irrigat, ita Cantici hujus plures sententiæ sèpius repetitæ
& cantatæ, corda israelitarum afficiunt, penetrant &
molliant, Conf. Esa. 55. v. 10. II.

Quasi imber super herbam, & quasi flilia super
gramina. Arenam, silicem & rupes non emollit imber,
sed tantum terram, ex quâ herbæ & gramina crescunt:
ita verbum Dei, quale est hoc Canticum, fructum facit
in terra bonâ, non a. in petrâ, (h. e. in corde bôno non
a. obdurato) did. ex Luc. 8. v. 6. & seqq.

(C) Propositio: in quâ notanda venit

(1) Dei Glorificatio. v. 3. Quia Nomen Domini
invocabo: h. e. Cantabo de invocando & colendo
uno, solo & vero Deo, cujus innumera in Nos sunt be-
neficia, leg. Psal. 111. v. 1. 2. &c.

Date Gloriam Deo nostro. Hunc in finem
Canticum hocce suscipite & discite, ut solum illum verum
Deum timeatis & extollatis, leg. Psal. 95. v. 1. seqq.

G. 2.

18. *Texta offæ angarasta Rayna
liam Schubellaria General Collection Library*

119.
5231

(2) Glorificationis ratio, v. 4. ubi varia occurunt Dei Epitheta, quod sit (a) Petra, ob immutabilitatem & constantiam in promissis, leg. Psal. 18. vers. 2. 3. (b) cuius opus perfectum, (h. e. opera, sing. pro plur. & quidem emphaticè, cum scèpè in S. S. singularitate plus significetur quam pluralitate, sic Psal. 9. v. 6. Joh. 1. v. 29) Perfecta ergo sunt omnia opera Dei, & irreprehensibilità, ut habent interpres. LXX. vocant ἀληθινὰ, vera. (NB. Hæc diduci possunt ex opere Creationis, Redemptionis & Sanctificationis) (c) Et omnes viae ejus iusta, (Hebr. judicium, h. e. cum judicio conjunctæ) per vias Domini h. l. intelligi possunt, tam actiones, consilia & opera Dei, sicut Psal. 25. v. 10. quam sanctissima ejus præcepta & dogmata, prout Psal. 25. v. 4. & 67. v. 3. (d) Deus verus, (Hebr. veritas. LXX. vertunt τισος, fidelis, leg. & Conf. 1. Cor. 10. vers. 13. (e.) Εσ non iniquitas, scilicet in eo est, h. e. absq; ulla iniq; Quia (f) justus Εσ rectus, imò ipsa justitia, 1. Cor. 1. v. 30. Conf. Psal. 119. v. 137.

(3) Populi ingratitudo, (ob maxima beneficia ipsi declarata) v. 5. corruptit (sele) illi, non filij ejus, macula eorum generatio, prava Εσ perversa. (Sic quidem ad verbum ex Hebr. vertendum esset;) quorum verborum nonnihil transpositorum hic est sensus: Generatio prava & perversa, quæ non est progenies ejus, in ignominiam suam corruptit (sele) illi. De futura illorum defectione à Deo vero, hæc est querela omnia scientis Dei, quod scilicet non essent mansuri in Doctrina sanâ & vero Dei cultu; sed sicut solet generatio prava & adultera, corrumperentur, Conf. Esa. 1. 4. Matth. 12. v. 39.

4

ut non sint amplius filij, sed spurij, leg. Mal. i. vers. 6.
(4) *Exprobratio*, per apostrophen interrogatoriam, v. 6.
120
Numquid Jehovæ retribuitis istud, popule stulte & insipiens: quæ querela repetitur v. 15. *Nonne ipse Pater tuus* qui Te ex gratia in liberos & hæredes adoptavit, Rom. 8. v. 14. & seqq. Gal. 4. v. 6. 7. *qui possedit te a h.* e. tot signis & prodigijs manu validâ, & brachio extento, ex Ægypto, in populum peculij eduxit, leg. Deut. 5. v. 15. Psal. 95. v. 7. *Ipse fecit te, magnum & gloriosum, imprimis ad imaginem suam,* Gen. 1. v. 27. 28. Deinde promissione Messiae, Gen. 3. v. 15. *Et præparavit te, Legibus nimirum saluberrimis, & politiâ optimè constitutâ,* Conf. Psal. 147. v. 19. 20.

(5) *Provocatio* (ad superiora tempora hæc beneficia probans) v. 5. *memento dierum seculi, intellige annos generationis Eccl.* Hisce verbis jubet Deus israelitas in memoriam sibi revocare res in Ecclesia gestas, præcipue quæ in Genesi & Exodo continentur; ex quibus omnibus liquet, quantam eorum curam egerit Deus, & majorum illorum, quod considerat & extollit Psaltes, Psal. 147. v. 11. seqq.

I. *Applicatio*, & quidem (A) ad Israëlitas, quæ ex brevissima hacce explicatione liquidò patet.

(B) *Ad Nos*, quæ continet Doctrinas præsentim & Admonitiones, quas hic statem indigitare lubet, plenus diducendas, & ad quamlibet Ecclesiam applicandas, à RR. Dnn. Concionatoribus. Eritq;

1. Canticō inclusit h. l. Moses, & quidem iussu divino Beneficia Dei erga Israëlitas, sic & Exod 15. vers. 1. ad 21. Et passim in S. S. præcipue in Psalterio; Ergo talia

can-

53.
cantica Deo treusa amanda & ediscenda, & quæ nostro tempore ex S. S. hausta, in Ecclesijs nostris præcinvuntur, præsertim hisce diebus ex Psalmis poenitentialibus; canenda sunt illa cum attentione & devotione. Voce sonora & dulci melodiam alter alterum ad alacritatem excitet, ut monet Apostolus, Col. 3. vers. 16, 17. Conf. Deut. 31. v. 21.

2. Ingratitudinem & Apostasiam; Afflictiones & pœnas iudæorum cum præviderit & prædixerit Deus, Excitet nos ut excutiamus torporem & securitatem. *Videt n. cogitationes nostras à longè* Psal. 139. v. 2. coaf. Deut. 31. 21. *Scrutatur cords,* Apoc. 2. 23 leg. Psal. 94. v. 8. 9. Syr. 16. v. 15. seqq. & 23. v. 25. - 29. (did. per decal.) & add. Eccl. 12. v. 13. 14. & Epist. jud. v. 15.

3. Ex v. 1. Gravissima illa est contestatio, quando Deus homines præterit, quasi nullæ essent illis aures, & res mutas alloquitur, quibus quasi horrorem ineuteret, quod jucunda tot ornati beneficijs, à Deo defecturi essent. Caveamus ergo à peccatis, (did. dictis & exemplis.) Ne videantur nobis hæcce vilia. Alloquitur & hodié Deus Elementa & creaturas irrationalis, cum ejus permisso nobis nocent: revocemus ergo ad animum, non tantum horrenda illa Exempla, Gen. 7. v. 12. & 19. v. 24. Job. 1. v. 16. 19. 2. Reg. 2. v. 24, sed. & illa quæ nostro hoc tempore fiunt. did.

4. Ex v. 2. Laus & efficacia verbi hinc patet, did. Nos a. demus operam sedulò, cum sciamus Deum gravissimè verbi sui contemptum punire, ne simus quasi rupes & silex, sed florida herba & virens gramen, uberem hic facientes fructum, ut virescamus & floremus in æternum, Psal. 1. v. 3; & 16. v. 11. Adm.

5. Ex v. 3. Inter præcipuas cultus divini partes est No-

2

6
minis divini celebratio pro acceptis beneficijs, ut patet
ex Psal. 34. v. 1. seqq. & passim in Psalterio, alijsq; S. S.
locis. Praet h. I. Moses suo Exemplo, aliosq; hortatur
ad idem faciendum, &c. Et cum sint Hi Dies non tan-
tum Solemnibus precibus dicti, sed etiam Gratiarum as-
tronibus & Dies Eucharistici nuncupati; ergo beneficio-
rum acceptorum memores, id faciamus corde, ore, opere:
publicè- privatim: manè, vesperi: did.

6. Ex v. 4. ut alacriores simus ad hasce laudes Deo
solvendas, & in omni adversitate ei fidendum, cogite-
mus. Quis sit Deus noster? nempe (1) PETRA, etiam ra-
tione protectionis Psal. 18. v. 2. 3. 4. (2) operis perfecti au-
tor, sicut ipse perfectus est, Matth. 5. v. 48. (did. ex tex-
tus expl. & ex quolibet Epitheto hauriatur Doctrina & Admo-
nitio praesenti rerum statui accommoda.)

7. Ex v. 5. 6. 7. Si effugere velimus, (volumus autem)
omne malum, præcipue imminentia pericula; fugiamus
vitia abominanda, de quibus v. 5. ingratitudinem detestan-
dam, de quâ v. 6. & oblivionem culpandam, v. 7. (que
omnia fusi did. ex text. expl. & applicentur; & concl. ver-
bis Deut. 10. v. 12. 13.)

Concio 2.

Paraf. Psal. 99. v. 5. appl. ad Diem praesentem, &
textum.

Textus: Deut. 32. v. 9. - 15. v. 11.

Exordij loco, connectetur textus præcedens; idq; bre-
vissimis verbis, cum hocce, qui specialius Dei Beneficia
erga populum israeliticum enumerat, & ingratitudinem
eorum perstringit.

Partes; i. Textus Explicatio; ii. Applicatio.

In i. Ergo Notand. (A) Beneficia Dei maxima in populum

istum

123.

54

istu collata; quoru*m* (i) hic indigitatur: *in populum adoptio*,
v. 9. & 10. *Pars enim Ieboea populus ejus*, hanc n.
partem seu portionem ipse elegit; & quemadmodum sua
cuiq; sors vel portio, quam in hæreditate obtinet, grata
est; ita & *populus israeliticus manens in mandatis Do*
mini, Deo charus fuit, Jacob sors hæreditatis ejus,
(in hebr. *funiculus hæreditatis*, h. e. hæritas
ejus; quia funiculus dividebatur hæritas) verba hæc hu-
jus versiculi posteriora, priora explicant, q. d. quid cui-
rum, quod Deus expulsi reliquis gentibus, terram & pa-
triam illarum, populo israelitico dederit? cum ei ita sit
charus atq; portio hæreditatis, *legatur liber Iosua*, & Conf.
Deut. 31. v. 3. Psal. 69. v. 38. Esa. 54. v. 3.

v. 10. *invenit eum in terra deserti*, post exitum
scilicet ex Agypto, *in vastitate ululatus*, h. e., ubi u-
lularunt bestiæ ob defectum cibi. *Circumduxit eas*,
de uno loco in alterum, leg. Exod. 16.* 17.* & 18.*

(2) *Legis promulgatio*, v. 10. intelligere eum fecit,
nempe beneficio legis per Moysen datae, quæ triplex fu-
it, *Moralis*, *Ceremonialis* & *Forensis*, leg. Exod. 29.* 21.*
22.* 23.*

(3) *Conservatio*, & quidem accuratissima (a) *ut pupillam*
v. 10. *Pupilla in S. S. notat rem pretiosissimam*, sum-
moq; studio custodiendam, ut patet ex Psal. 17. v. 8. prov.
7. v. 2. Zach. 2. v. 8. Sic custoditi sunt israelitæ: quod
liquet ex tota illorum Historia.

(b) *Sicut aquila*, &c. v. 11, significatur hac simi-
litudine singularis Dei amor & cura, quâ Deus israelitas
est complexus: quemadmodum enim Aquila púllos suos,
non unguibus ut cæteræ aves, sed alis & humeris portat,
& tam

128

8 & tam sublimes vehit, se quasi interponens, ut ab omni teli iectu & avibus rapacibus sint tuti atq; immunes: ita quoq; Deus sese in nube, inter castra Israelitarum & Agyptios interposuit; ab injurijs defendit, fovit, alvit; mores eorum toleravit, tentavit, ut volare discerent, h. e. in eum credere. Prout hæc, Exod. Lev. Num. & Dent. legenti obvia sunt.

v. 12. Dominus solus deduxit eum, h. e. ipse Ieboyah præcedebat eos, interdiu in columna nubis, ut deduceret eos per viam, noctu v. in columna ignis ut luceret eis, ut ambularent die & noctu, ut expressis verbis docetur Exod. 13.

v. 21. Et non adjuvit eum Deus alienus, siquidem aliud non est agnoscendus, i. Reg. 8. v. 60. Esa. 45. v. 5.

(4) Sustentatio, v. 13. Constituit eum super excelsa terra, situm & bonitatem terræ sanctæ indigitat. quod indicant verba sequentia, (Conf. Gen. 42. 2. de terra situ) ut comederent fructus agri, quibus abundavit terra ista. Et fecit ut sugeret mel è petrâ, possunt hæc verba intelligi vel simpliciter & secundum literam, cum magna ibi fuerit copia apom, etiam in rupibus mellificantium; ex quibus rupibus affatim mel effluxit, ut concluditur ex i. Sam. 14. v. 26. vel figuratè, pro quavis re dulci & delicata, sic Deus saepius Israëlitis pollicebatur terram fluentem melle & lacte, Conf. Psal. 81. v. 17. idem censendum de oleo è silice Petræ, (h. e. è petra durissimâ) cum olivæ gaudeant locis sterilibus & petrosis, & fuerit alias in terra ista oleum in summâ abundantia, leg. cap. seq. v. 24.

v. 14. Butyrum bovis & lac pecudis; &c. Quæ versiculo hocce enumerantur, notant delicias, & copiam rerum

204 ls mobipp 28 ianuarij. : II

57

terum omnium, quæ in delicijs habebantur apud Judæos, quarum nulla esset penuria in terrâ istâ promissâ, sed abundantia. *Per sanguinem uvæ* intelligitur vi-num rubrum, quod color sanguinem refert, vel merum, cui nihil est admixtum, conf. Gen. 49. v. ii.

(B.) *Ingratitudo*, & supina populi Israelitici securitas, v. 15. Pro beneficijs maximis, maximas reperirent gratias, & quasi toti in gratiarum actiones sol-verentur, intro missi nimirum in terram, in quâ omni-um bonorum temporalium erat satietas. Verum con-queritur Deus de summa eorum ingratitudine, dicens: *E impinguatus es Israel E incalcitravit.* Haud secus atq; equus vel taurus benè saginatus, (scilicet non est intellectus, Psal. 32. 9.) *impinguatus es, incrassatus es, operuisti,* (apostrophe per mutationem per-sonæ, indigitat rei indignitatem,) & notant hæc verba non tantum obesum & probè saginatum, equi vel bo-vis ad instar; item eum qui *operuit* h. e. tantam pin-gvedinem vel crassitatem contraxit, ut præ pingvedine torve vel animus qui quasi suffocatus est, nihil intelligat; sed etiam in genere, omnem prospero rerum statu gaudentem & virentem, ac præcipue divitem & po-rentem, conf. Psal. 17. v. 10. & 22. vers. 13. *Dere-liquit Deum qui fecit eum,* despexit & quasi depresso dignitatē ejus, à quo creat⁹, conservat⁹, sustentat⁹, ad Deos alie-nos recedendo: *E despexit Petram salutis suæ*, h.e. Deum & salvatorem, à quo salus tam temporanea quam æternar dependet firmissimè, ob quam stabilitatem Dei sus-tinetur, Petra, scilicet & Psal. 13. v. 4. & 42. v. 19,

cella

B

II: Ap-

II: *Applicatio; & quidem ad Nos.*

1. Legenda sunt hæc & notanda non tantum ut historica, solum populo Israelitico applicanda, sed etiam & quidem primariò nobis in doct. adm. & emendationem, *leg. i. Cor. 10. prasertim v. 11. &c*

2. Ex v. 9. Considereremus quod & *Nos portio Domini & populus ejus*, quibus immensa beneficia sunt declarata, quorum primarium est lux verbi divini, *Psal. 95. 7. item 147. v. 19.* Quod quale sit donum, *leg. Psal. 19. vers. 11. seqq. & 119. v. 103.* Quid Patres & Antecessores nostri? idololatræ; quorum conditio exprimitur *Eph. 2. 19. seqq.* Considereremus quælo hoc beneficium & simus grati, *did. ex Eph. 5. v. 8. 9.*

3. Ex v. 10. *Invenit & Nos Deus in terra deserti;* *did. ex hist. Suecana.*

4. Ex v. 10. 11. 12. Hæ similitudines ductæ à pupilla oculi & aquilâ probè intellectæ, singulare sunt documentum misericordiæ divinæ erga Nos, quo scilicet amore nos complectatur, quomodo foveat ac defendat, *add. dicta & exempla, etiam ex experientia.*

5. Ex v. 13. 14. Licet in tām feraci non vivamus territorio, atq; est terra Chanaan, attamen mirabiliter nos sustentavit Deus, *did. ex Psal. 65. v. 10. seq. & 104. 14. seq.* quod a. interdum immittat annonæ caritatem, est saltem *domus misericordiæ*, ut scilicet excitemur ad preces, gratiarum actiones & tolerantiam: *did.*

6. Ex v. 15. Quomodo n. luxurient animi rebus plerumq; secundis, patet ex h. l. ut & *Ier. 5. v. 1. & seq.* item quotid. experientia. Cavendum ergo maximo pere ne abutamur bonis, nobis à Deo clementer concessis

cessis, verum cognoscamus quæ & qualia sint; fugiamus ingratitudinem; (Notandæ pœnæ & minæ v. 22. seq. in Conc. seq.) & simus grati, & sonet semper in aere nostrâ, in ore, & corde illud, à quo cœpimus, ex Psal. 99. v. 5.

Concio 3.

Parasc. Psal. 48. v. 11. appl. ad text. & add. ex ep. ad Hebr. cap. 10. v. 21.

Text. Deut. 32. v. 23-29.

Exord. Jer. 8. v. 4. 5. 6. 7.

Partes: I. *Textus Explicatio*: II. *Applicatio*:

I*n i.* Notanda venit (A) Pœnarum denunciatio, quibus populi defectionem vindicaturus erat Deus. Et quidem (æ) in Genere, v. 23. Congregabo (in Hebr. consumam, sed LXX. συνάξω) in eos omnia mala. q. d. non relinquam ullum malum, quod non adducam super eos (de malo pœnæ hæc intelligenda sunt sicut & illud Amos 3. 6.) *Sagittas meas consumam in eos.* Sagitta h. l. notat periculum & malum subito irruens, calamitatesq; magnas & improvisas, conf. v. 42. Job. 6. v. 4. Psal. 38. v. 3. Zach. 9. v. 14. & Thren. 3. 13.

(B) In specie enumerantur ista mala: & sunt (a) *fames* v. 24. *Consumentur* (Hebr. adurentur & q. absumentur) *fame*. (b) *morbi*, *comedentur aggritudine calida* (Hebr. prunâ, h. e. caumate, inflammatione & morbo ardente) & *succisione amara*, h. e. peste amarissimâ sive morbo exitiali, qui citò enecat lue amarâ & dirâ, quam causatur aer corruptus. Leg. 2. Sam. 24. v. 15. (C)

28
Bestia, dentem (sing. pro plur. vid. supra conc. i. v. 4.) bestiarum inimicam, &c. trucia, rapacia & venenata animalia intelligit, conf. Num. 21. v. 6. Jer. 15. v. 3.

(d) Bellum v. 25. Foris orbabit gladius, &c., de hac clade & cæteris, quas populo Israelitico comminatur Deus, ni poenitentiam egerint, legantur historiæ & afflictiones istius populi, ex libb. judicum, Samuelis & Regum.

(γ) In summa, v. 26. Dixissim, (h. e. in ira mea dicere decrevissem, jagh wille sasa/) ubinam sunt? (juxta text: Hebr. & vers. LXX. legendum erit, dispergam eos & q. in extremitatem & angulum derudam, ad incitas redigam) Cessare faciam &c. sensus integer est: cum Israelitæ recedendo ad Deos alienos memoriam mei penitus abjicerint, statuisse quidem & ego illos a me penitus in locum orbis remotissimum abigere, ut ferme deleatur omnis eorum memoria.

(δ) q. Mitigatio: v. 27, nisi iram inimici &c. h. e. ni efferantur eorum hostes, adscribentes Israelitarum deletionem non Deo contemptum sui justè vindicanti, sed suæ potentia.

v. 28. Gens n. absq; consilio (juxta Hebr. periens consilij, h. e. perditij consilij & inconsulta) nec est in illis intelligentia, non n. perspicunt, Deum quidem propter peccata punire populum suum; nihilominus promptum esse ad declarandam misericordiam suam erga eundem pænitentem, conf. v. 36. & 43.

(B) Exclamatoria admonitio; v. 29; utinam sapientes effent, &c. applicari potest tum ad imprudentes Israelitarum hostes

57

hostes, conf. v. 39. 40. 41. 42. tūm etiam ad Israelitas
qui gravia passi, merito secum reputarent, tantas clades,
non hostium potentiae acceptas esse ferendas, sed
sua malitia & in peccatis obdurationi, quam inultam
non sinit Deus; idem quoq; misericors manet erga poenitentes; conf. v. 43. & Esa. 59. v. 1. 2.

II. *Applicatio* & quidem ad Nos, quoad Doctrinas,
quæ hic saltem indigitantur.

1. Ex v. 23. liquet ex pænarum denunciatione, quam
aversetur Deus peccatum, & sitiat hominum salutem,
add. *Dicitur Gen. 2. 17. Et 18. 17. Et cetera exempla.*

2. Ex v. 24. 25. did. ex textibus pœnitentialibus su-
periorum annorum.

3. Ex v. 26. patet unde tot vicissitudines? did.

4. Ex v. 27. 28. Commune est cacoethes, quod ef-
ferantur homines rebus secundis, nec ipsum Deum ui-
meant, add. *dicitur Et exempla.*

5. Ex v. 29. Immensa est Dei honestas erga Nos in
declarandis beneficijs; magna clementia ejus in de-
nunciandis pœnis, ut resipiscamus: infinita misericor-
dia in recipiendis pœnitentibus; did.

Die II. Solemnium precum, (13. julij)

Concio I.

Paraf. Psal. 65. v. 2-5. appl. ad diem præsentem
& Textum.

Textus, Mich. 6. v. 3. 4. 5.

Exordio loco, Deut. 5. v. 15. item dicatur brevi-
ter summa & cohærentia trium hujus dicti textuum;

B 3

in

forti glorijs pallijs duxit Romani apie

in 1. revocantur Israelitis in memoriam Dei beneficiorum
in 2. hypocriticus illorum cultus reprehenditur, & ver-
rus ostenditur. in 3. deprehendatur benignus Dei animus
erga afflictos & paenitentes.

Partes: I. Textus Explicatio; II. Applicatio:

In 1. Notabitur A. *De Auctore seu scriptore, Propheta Micha*, qui vixit eodem ferè tempore, quo *Ezias* in Regno Judæ, & *Oseas* atq; *Amos* in Regno Israelis docuerunt: circa A. M. 3240. ducentis circiter annis post prophetam *Micha*, de quo i. Reg 27. v. 8. agitur.

B. *De Prophetia Summa*, sic Cap. 1. & 2. concionatur *Micha* contra Regnum Juda & Israel, exaggerans eorum peccata, & denuncians promeritas poenas. Cap. 3. taxat Magistratus injustitiam & vanitatem Pseudo-prophetarum. Cap. 4. & 5. Solatur contristatos, quos insuper de misericordia Dei & adventu Christi instruit. Cap. hoc 6. repetit comminationes, & cap. 7. proposita querela de perditione, prævalere consolatione concludit.

C. *De Textu prælecto*, cuius obseruau. (α) *Exordium* præcedens, & quidem valde patheticum; quia (1) verba sunt ipsius Dei, v. 1. (2) directa ad montes & colles, v. 1. 2. per montes & colles licet intelligi possint magistratus & primates, potior tamen est sententia, quod per quandam prosopopœiam jubeat Deus Prophetam alloqui ipsos montes & colles, vid. conc. 1. diei primi, ex Deut. 32. v. 1. pag. 2.

(β) *Disceptatio*, quæ hic proponitur (1) καθ' ἀριθμον Rhetoricā interrogatione, quod nunquam eos læserit: v. 3. *Quid feci tibi, popule mi?* quod scilicet

tam

15
138

tam turpiter contra datam fidem à me Deo, creatore
& Benefactore tuo, desiveris? est a. in hac interrogatio-
ne emphasis responsionem negativam innuens, sicut
Jon. 4. v. 4. **Quo molestavi te?** (Hebr. *quod laborare*
de feci? vel feci ut despenderes animum? Præcepta propo-
nendo impossibilia, nimurum quoad extreum cultum)
Responde mihi, (Hebr. *testificare contra me, jam quasi*
disceptemus) condescendit hic Deus ad infirmitatem
nostram, more n. humano loquitur, sicut & Esa. 43.
vers. 26.

(2) **Karæ Ægypti**, quod multis beneficijs eos affec-
tit, quorum (a) est, *miraculosa ex servitute Ægyptiaca libe-*
ratio, v. 4. **Quia eduxi te è terrâ Ægypti** (Hebr.
ascendere te feci) **E** redemi te è domo servitutis (Hebr.
servorum sive servientium, sic & Exod. 13. v. 3. 14. alibi)
quia serviebant Israelite in Ægypto servitutem durissi-
mam, hand scena

(b) **Ecclesia & Politia constitutio**, v. 4. **Misi ante faci-**
em tuam Mosen, Aarone & Miriam; Namq; mis-
sus est Moses à Deo, populum ut educeret, & Leges à
Deo acceptas ei traderet: *Aaron*, ut esset summus sacer-
dos, & populum expiaret: *Miriam*, *Mosis & Aaronis*
soror, missa est, ut propheticō spiritu, mulieres præ-
cipue erudiret, undē & prophetissa dicitur, Exod. 15.
v. 20, Conf. Num. 12. v. 2.

(c) **Omnium periculorum** (populo in Ægypto per an-
nos quadraginta vagante & terræ promissæ appropin-
quante) *aversio*. ex multis tria tantum adducuntur v.
¶ popule mi, memento nunc (vel obsecro) *quid consoluerit*
Balak

*Balak: &c. leg. hist. hæc præclara, quæ Beneficium Dei maximum enarrat, Num. 22. * & 23.* A Sittim: ubi tām spirituali quām corporali scortatione se fædat populus, quem tamen pænitentem, Deus in gratiam recepit, ut legere est Num. 25* usq; ad Gilgal: quid a. ibi contigerit, leg. Jos. 5. v. 8. 9. & seq.*

(y) *Exhortatio. v. 5. popule mi, recordare obsecro, item, ad sciendum justitias Jehovæ, (h. e. justè facta Jehovæ) utpote victorias de inimicis tuis. Leg. Num. 31. v. 1-11. Deut. 3. v. 1-11. Horum a. omnium memores Israelite, meritò sibi invicem gratularentur, Ex Deut. 33. v. ult. & Beneficia Dei deprædicarent, ex Psal. 145. v. 1. & seq.*

II. *Ad applicatio, & quidem ad Nos.*

i. *Ex A. & B. Quod omni tempore miserit Deus innocentes in Ecclesia, est quod pro singulari Dei dono & beneficio reputemus; Leg. Ier. 7. v. 25. Mat. 23. v. 34. Eph. 4. v. 11. Conf. Esa. 3. v. 2, quæ scilicet sit calamitas prophetis carere: Did.*

-ii. *2. Verba Prophetarum & concionatorum, non sunt hominis sed ipsius Dei; patet ex v. 2. & exordijs omnium ferè prophetarum, Leg. 2. Pet. 5. v. 19. 20. 21. &c.*

3. *Ex v. 3. Refractarium & ad idololatriam proclivem populum vocat Deus blandis verbis populum suum. Sic Judam proditorem nominat Salvator Amicum suum, Matth. 26. v. 50. Hæc ergo esset fortissima catena, quā nos Deo ligaremur & obligaremur. Did. de ame-*
re

133

re Dei erga Nos, & reciproco amore nostro erga Deum, in quantum fert imbecillitas nostra.

4. Ex v. 4. Fuit aliquando ergastulum & domus servitutis etiam Patria nostra: (Hic notandæ sunt variæ vicissitudines tam in Ecclesiasticis quam Politicis) o quantum Dei beneficium, quod ex hac servitute liberati, ex exercitio Religionis gaudemus libero, & politia tranquilla! &c.

5. Ex v. 5. Quid contra nos olim consuluerint hostes nostri infensissimi, & quid etiam nunc consulant, re concordemur, quæso, & nos. Did. ex textus expl. additur votum; et concludatur dictum quo cæptum est, ex Psal. 65. v. 2. 3. 4. 5.

Conc. 2.

Parasceve, Syr. i. vers. 35. seqq. appl.

Textus Mich. 6. v. 6. 7. 8.

Exord. Isa. 1. v. 11. seqq. expl. & appl.

Partes I. Textus Explicatio: II. Applicatio.

In I. Notanda venit A. Occasio, & quidem ex extortione, de quâ v. 5. in Expl. pag. 16.

B. Hypocritica populi interrogatio: I. in Genere, v. 6. in quo præveniam Jehovam? i. e. quâ re reddam mihi Deum propitium, antequam puniat? q. d. quâ ratione eum placabimus? aut quo munere veniemus in conspectum ejus? Hinc pergit interrogando 2. in specie: curvabo me Deo excuso? b. e. an reddam mihi Numen propitium, si cervice incurvâ, facie scilicet in terram prostratâ, (ut mos erat & adhuc est orientalibus) cultum ei externum exhibuerim? Num præveniam eum holocaustis & vitalis anniculis? nimisrum muneribus

C

talibus

talibus eum placabo, qualia per Mōsen sibi offerri jussit?

v. 7. *Nunquid volet Jehovah millia arietum, aut decem millia torrentium olei?* q. d. si prima non sufficiant, quia maximus est, & maximis placandus erit muneribus, quæ ut ipsi exhibeantur, sedulam dabimus operam. (Not. (a) esse hic hyperbolē, quæ hypocitarum studium in verbis externis eleganter exprimit. (b.) Verba hæc in versionibus ferè omnibus ita proponi, quasi essent verba prophetæ, volentis bac interrogatione vim negativam habente, reprimere hypocriticam populi oblationem, v. 6. promissam; Verum textus orig. & ipsis contextus ostendunt verba esse populi, qui tanquam per gradus promptitudinem suam, sed hypocriticam, in placando Deo, declarare voluit; sequitur enim) *Numquid dabo primogenitum meum, pro prævaricatione mea?* q. d. si animalia irrationalia, aliaq; res pretiosæ, peccatum expiare; & Deum placare nequeant, dabo ne quod majus est, primogenitum? &c. Hæc & præcedentia effuti ventur pleriq; (ex prævaricante & ingrato populo, qui à Propheta propter peccatum graviter corripiebantur) *hypocriticè:* ut patet ex scriptis omnium Prophetarum. quidam a. *Thraſonicè*, instar Agagi, de quo 1. Sam. 15. v. 32. quidam v. *mimicè*, h. e. ad imitationem ethnorum, quos etiam secutus est Ahas, de quo, 2. Paral. 28. vers. 3. Conf. 1. Reg. II. vers. 5. 6. 7. & 2. Reg. 23. v. 13.

C. *Reprehensoria Propheta Responsio.* Quia ipsis oculos posuit summam illorum ingratitudinem, nimurum in promissione cultus hypocritici & intermissione cultus Deo debiti v. 8. *Indicavit tibi Deus, vel indicatum tibi est à Deo, per Mōsen & Prophetas: ô Homo hypocrita, qui beneficijs*

maxi-s

maximis à Deo affectus es, *Quid bonum sit?* (quod offeras scilicet. Respondet ad hoc Augustinus: offer te ipsum: quid n. querit Deus à te nisi te, ipse querit te à te, quia te perderas in te.) *Et quid Jehovah requirit à te.* non quæ tu ultrò & animo hypocritico obtulisti, (v. 6. 7.) Conf. 1. Sam. 15. v. 22. Esa. 1. v. 10.-15. *Utiq;*, h. e. nihil aliud nisi, *facere iudicium, diligere misericordiam,* *Et humiliare te ad ambulandum cum Deo tuo.* in brevi hac descriptione continentur opera primæ & secundæ tabulæ Decalogi, quâ etiam requirit Dominus fidens in Deum, *Dilectionem* in proximum, & veram animi humilitatem ac patientiam in adversis: *Facere iudicium* quid est nisi neminem lädere, & suum cujque tribueres, quod quidem inculcarunt sapientiores ethnici, sed plenius explicatum est in lege Dei & Prophetis, leg. Matth. 7. v. 12. Hinc in nostris versionibus, (Germ Svec. & Fin. non.) redditur hæc sententia, per verbum Dei diligere seu servare. *Diligere misericordiam* est mutuis officijs & beneficijs quasi certare, leg. Rom. 12. v. 9.-21. *Humilitè cum Deo ambulare,* nihil aliud est, quam Deum semper & ubique præsentem credere, revereri, & timere, unde humiliatio: Non n. potest quis nisi cum præsente ambulare, hinc natum nobile hoc encomium Patrum: Cum Deo ambularunt Enoch, Noah, Abraham &c. vid. Text. orig. Gen. 5. v. 22. & Conf. Gen. 24. v. 40.

II. Ex priori, Explicatione scilicet, appositi sequitur Applicatio, & quidem ex occasione v. 5: ubi monetur recordari vel recordatione quasi conferre beneficia, quæ sus-

cepimus, & gratitudinem, quam rependimus: illa sunt
immensa, haec est langvida & hypocritica. Proinde res-
petendum illud Deut. 32. vers. 6. Recordemur ergo

1. Ex v. 6. & 7. *Hypocrisim fugere*, est n. peccatum
grave & proles Diaboli, leg. prov. 6. v. 18. & 26. v. 25.
Syr. 27. vers. 26. 27. &³ did. quām abominabilis sit Deo,
in cultu divino, in precibus, in laudibus ei dicendis,
vid. Matth. 15. v. 7. 8. & cap. 23. *

2. *Humilimo gestui in cultu divino studere*: is enim non
improbatur; sed à Deo mandatur, Psal. 95. v. 6. et da-
tum est homini à Deo non tantum os, lingua, guttū, &c.
sed & genu flexible, did. Exempla humiliantium se
coram Deo prostant Sanctorum, imò ipsius Christi, did.
verum absit longissimè opinio meriti.

3. Ex v. 5. & 6. *Facultatibus nostris non parcere*, ubi requi-
rit Glōria Dei, leg. Prov. 3. v. 9. 10. Syr. 35. v. 14. 15.
Sed illis nihil tribuere. did.

4. Ex v. 6. *Grates Deo solvere*, quod sciamus lytron
pertiosissimum & sufficientissimum solutum esse pro pec-
catis nostris, 1. Cor. 1. v. 30: 1. Joh. 1. v. 7. & 2. vers.
2. Horreamus ergo abominationes gentilium, 2. Chron.
28. v. 3. & in luce ambulemus, Matth. 5. v. 14. 15. 16.
1. Pet. 2. v. 12. Did.

5. Ex vers. 8. *Fluunt Doctrinae & admonitiones multæ
& insignes præsenti rerum statui accommodandæ*, quæ
notarā istius versiculi explicatione, facilimo negotio erui
& diduci possunt.

Conc. 3.

Paraf. Psal. 145. v. 8. 9. appl. ad Diem & textum.

Text. Mich. 7. vers. 18. 19. 20.

Exordij

*Adinventum
in sangue ferre
Gloriam ex sanguine Christi
Gloriam ex sanguine Christi
in armisque suis ut te adorandum sole*

132

610-1

Exordij loco, repetatur quod dict. est initio Conc. i.
pag. 14. vel recitetur Historia Gen. 12. v. 1-7. & appl.

Partes: 1. *Textus Explicatio*: ii. *Applicatio*.

In i. *Textus* nimirum explicatione Not. quod Propositâ querelâ de piorum paucitate & perversorum impietate, v. 1-6. additâ quoq; *Consolatione*, omnem diffidenciam tollente, & liberationem certissimam promittente, v. 7-17. tandem prophetiam *concludit* præclarâ hæcce δοξολογία, quâ Dei misericordiam maximopere extollit, (A) *In Genere*, Dei Naturam quasi describendo, & quid factum sit prioribus temporibus, indicando, v.

13. *Quis Deus sicut Tu?* cum admiratione recordatur propheta eorum, quæ prius gesta sunt, item quæ hâc prophetiâ recensuit. (ubi iterum interrogatio habet vim negandi) *tollens* (condonans) iniquitatem, conf. Psal. 32.

v. 1. 2. *E* auferens prævaricationem (juxta text. orig. *transiens prævaricationem*: metaph. ducta ab ijs, qui transeuntes dissimulant te aliquem videre, vel quid ab eo geratur, quasi ei connivendo.) *reliquarum hæreditatis tuae*. leg. 1. Sam. 26. v. 19. Psal. 2. v. 8. *E* vid. expl. v. 9. cap. 32. Deut. pag. 7. & insuper notetur, ut evidenter sit similitudo, quod *hæreditaria bona* Judæis multò gratiora fuerint quam alia: non n. facile ex sedibus suis & tribubus migrabant; & quod hæreditate à majoribus acceperunt, sibi omnino divinitus datum credebant, leg. 1. Reg. 21. v. 3, de vinea Naboth. *Non retinet* (*mutatio persona emphasis inducit*) *in seculum iram suam*, *quoniam diligit misericordiam*. (Hebr. voluit benignitatem) add. *Dicta E Exempla è S. S.*

(B) *In Specie*, eandem benignitatem adhuc sperando.

do. v. 19. *Revertetur*, (reverti dicitur Deus, ubi idem iterum agit, ut Psal. 6. v. 5. *item*, ubi missâ irâ suâ gratiam & misericordiam declarat, sic Zach. 1. vers. 3.) **E**cce miserebitur nostri. Emphatica est h. l. vox Hebræa *Rechem*, cui respondet in N. T. vox Græca σωλάγχυντα & notat utraq; propriè viscera majora, vitaliaq; membra interiora, item vulvam, quæ foetum inclusum fovet, atq; ita metaphoricè, blandissimam misericordiam divinam, quâ Deus in afflictionibus nostris commovet, & curâ plus quam maternâ, nos fovet, leg. Ier. 31. v. 20. Luc. 1. v. 78. *subjiciet iniquitates nostras*, h. e. pessundabit & conculcabit. vox n. hebræa conculcationem & dominium notat.) **E**cce projiciet (Hebr. *projicies*, vel *projecturus es*, ô Clementissime Pater, ut Te tuâ promissione fretus alloquar. (Iterum mutatur persona.) *in profunda maris*, ut scilicet nunquam veniant in conspectum tuum, (did. similando.) *omnia peccata nostra*, (Hebr. *eorum*, h. e. omnium verè pœnitentium) quod patet exemplo Adami, Noachi, Lothi, Dasvidis, &c.

v. 20. *Dabis veritatem*, **E**cce h. e. præstabis fidem, vel quod pollicitus es sanctis Patriarchis, & quidem jure jurando, leg. Gen. 22. v. 16. 17. 18. & 26. v. 3. Deut. 7. v. 8. & 29. v. 13. Psal. 89. v. 36. 50. vocat a. promissiones Dei *veritatem*, quod certissimè eveniant; misericordiam autem, quod ex gratiâ fiant.

II. *Applicatio* facilis est, tam ad *Iudeos*, observatâ eorum historiâ, & hâc brevi analysi, quam ad *Nos*, notatâ iterum hac textus explicatione, & consideratâ rez-

rum

139
62

rum facie, non tantum temporibus priscis, sed etiam modernis: quod quoq; quilibet cordatus sibi in individuo applicare potest. Did.

Die III. Solenn. precum. (die 10. Aug.)

Concio 1.

Parasceve, Mich. 7. v. 7. 8. 9. expl. & appl.

Text. Psal. 3. Totus.

Exord. dicitur à Titulo, qui indicat occasionem Psalmi. *Canticum Davidis*, (ut plerique vertunt partic. Hebraeam per Genit. sed forte commodius per Dativ. *Canticum Davidi*, scilicet à S. S. inspiratum. sic vertunt & LXX. τῷ Δανὶ. *Cum fugeret* Ἐγε. leg. *Hist. 2. Sam.* 15.* sed summatim, & Not. quod David in hoc, ut in multis alijs Psalmis, typum gesserit Salvatoris.

Partes: I. Textus Explicatio: II. Applicatio.

In I. occurrit A. *Davidis querela*, v. 1. & 2. *Jehovah*, primâ fronte Nomen Dei ponit, ostendendo quâ animi confidentiâ Deum compellet, juxta illud Prov. 18. v. 10. *Particula* Ah in versionibus nostris additur ex indeole lingv. *Quām*, vox est vehementiae & admirationis, in Græc. est *τι*, ubi quasi rimatur causam cur tot concurrent hostes? *multi* (*vi vocis*, tanquam agminatim advolantes) *hostes mei*, tribulatores, angustia. tores, oppressores. *multi* (*quām multi*, ter n. repetenda erit hæc vox quām) *insurgunt adversum me*. *Surgere* decebat filium, consiliarium, aulicos, subditos, h. e. parere

parere & morigerari Patri, Regi, Domino; sed *insurgant*.

v. 2. *Multi*, vocab. *muli* ter posatum, describit omnes Davidis hostes tam *exterorū*, Philistæos Ammonitas, Moabitas, &c. quām *Aulicos* ministros, Achitophelem, cum suo exercitu, 2. Sam. 17. v. 1. *Subditos*, Amasam, cum suis, 2. Sam. 17. v. 25. Simeti calumniatorem, 2. Sam. 16. v. 5. seqq. iūnō ipsum *Filium* cum suis satellitibus & subditis, 2. Sam. 15. v. 13. *Dicunt*, non tantum cogitant, sed etiam audacter nimis dicunt, ut patet ex locis jam citatis. *De anima mea*, i. e. de me. Per Synech.

Non salus ei in Deo, h. e. derelictus est à Deo, & nullum ei expectandum auxilium à Deo. Hæc eadem threnodia repetitur Psal. 42. v. II. & 71. v. II. *Selab*, particula aliás δυρόγονος, attentionem notat.

B. *Davidis in Deum fiducia*. v. 3. *Tu a. Domine*, q. d. fateor, si vim & potentiam hostium aspexero, & peccatorum meorum, iniuriarumq; propheticarum, 2. Sam. 12. v. 9. 10. recordatus fvero, quod non ineptè hæcce dicant adversarij mei; sed *Tu Domine*, qui spiritum patientiæ hactenus dedisti, suspiria mea suscepisti, &c. leg. 2. Sam. 12. v. 13, & 15. v. 25. 26. *Clypeus es pro me*, h. e. defensor & protector. conf. Psal. 118. v. 8. *Gloria mea* h. e. glorificator, amissum honorem & pristinam dignitatem restituens, (prout habent versiones nostræ) & *exaltans caput meum*, i. e. tristein & præ dolore dejectum, lœtum & victoriosum reddens. David enim urbe exiens caput velabat. 2. Sam. 15. v. 30. Regiæ adignitati restitutus, caput elevabat; (conf. de hac locutione, 2. Reg. 25. v. 27. Psal. 110. v. 7.)

v. 4. *Voce mea ad Jehovam clamō*, h. e. corde & ore, quia corde suspirare est etiam clamare, leg. Exod. 14. v. 15, (alias vox clamare est pleonasmus) *& exaudis me de monte sancto suo.* Potest h. l. intelligi tām arca foederis, in monte Sion posita, ex quā se responsorum promisit Deus; quām coelestis Dei habitatio, conf. Psal. 99. v. 9. & 121. v. 1. *Selah*, q. d. ô rem Deo acceptam, cum fiducia ipsum invocare!

v. 5. *Ego recumbo, dormio, evigilo*, quasi in sīnu Dei mei, quod indicant verba seqq. quām negotiōsi fuerunt hostes, prācipuē Achitophel, leg. 2. Sam. 17. vers. 1, 23. David verò in Domino securus.

v. 6. *Non timeo*, &c. eadem fiducia ex eodem fonte prosiliens, sicut & Psal. 27. v. 1. 2. 3.

C. *Precatio devota:* v. 7. *Surge Jehovah*, quia fiducia de promptissimo Dei auxilio, non excludit, sed includit preces, & quidem devotas: ideo orat David, idq; appositè. Contra eum *insurgunt* hostes; hinc ἀντωνωπεῖσθαι ipsum Deum alloquitur, quem *surgere*, h. e. in auxilium properare rogat: sic Psal. 44. v. 27. *Serva me Deus mi*, verba sunt confidentis animi, & auxilium omnino sibi promittentis, hinc dicit Jehovah, *Deus mi*, *Percusisti*, h. e. *percuties*, præt. profut. propter certitudinem. *Omnes inimicos meos in maxillā*. ignominiosè & ex contemptu *in maxillā percuti* solent vilia mancipia & homines imbellis, quasi qui indigni sunt, in quos gladius stringatur, conf. Mich. 5. v. 1. Thren. 3. v. 30. *& fiat appl.* *Dentes eorum confringisti*, q. d. ipsos non pudebat, famam & fiduciam

meam *dentibus rodere*, v. 2. *dentibusq; fremendo atq; stri-*
dendo mihi afflictio insultare, conf. Thren. 2. vers. 16.
bos tu Deus mi, confringere potes; quibus confractis &
communitis (alimenta concidere nequeuat, & sic interi-
bunt, vel) confundentur.

D. *Jucundum epiphonema.* V. 8. *Jehovæ est salus,*
h. e penes Jehovam est liberatio e periculis, & auxilium
præsentissimum. *Super populum tuum benedictio tua.*
sicut salus pro auxilio, sic benedictio pro favore accipi-
tur; & opponit hæc David verbis hostium contumelio-
sis v. 2. & gloriatur in Deo salvatore suo, tanquam vi-
ctoriam de hostibus jam reportasset, atq; hinc addit.
Selah: vid. sup.

II. *Applicatio in Doct. adm. consol. est hac:*

I. *Ex tit.* Individua comes pietatis est crux, etiam
 apud magnates, quos vulgus sæpe felices æstimat. Conf.
 Syr. 40. v. 1. seqq. & did. crux autem ubi gliscit non negli-
 genda est devotio, prout suo exemplo præit David, h. l.
 & in toto Psalteiro.

2. *Omnibus est Nomen, non Nominis omnibus o-*
men. Absolon, Cain, Rehabeam, &c. pulchra gesse-
 sunt nomina, sed non omnia. Sit ergo nobis cordi pie-
 tas, omneq; virtutis studium, ut nominata personâ, seu
 ejus nomine, simul nominentur, (sive sub nomine in-
 telligantur) virtutes & non vitia.

3. *Ex v. 1. 2. 3.* Et nostri hostes multi, multi oso-
 res, multi obtrectatores, &c. Est enim non tantum
 Satan cum suis technis & illecebris; mundus cum suis
 scandalis, & caro nostra cum suis cupiditatibus; sed &
 circa nos insurgunt hostes, & quidem undiquaq; Did.
 Verum arripiendum consilium seu medium Davidis,
 did.

27

did. ex v. 3. Conf. a. quod etiam multi nobiscum, imò ipse
Deus clypeus noster, h. l. & S. Angeli vigilis & satellites
nostris, leg. Gen. 31. v. ult. 2. Reg. 6. v. 17. Matth. 26. v. 53. &c.

64

4. Ex v. 4. discitur quæ sit efficacia precum, did. item
conf. quod semper pateat nobis aditus ad motem san-
ctum, did.

5. Ex v. 5. & 6. Bona conscientia & fiducia in Deum
O quanta bona! qualia propugnacula! conf. Psal. 20. v.
8. hinc adm. conf.

6. Ex v. 7. Freudent hodie dentibus hostes nostri,
sicut suo tempore conquestus est David Psal. 35. v. 16. &
37. v. 12. & 57. v. 5. &c. Ergo & Nos cum Davide ore-
mus ex v. 7. & Psal. 58. v. 7. Did.

7. Ex v. 8. Et omnis nostra salus in Domino, did. ex
Psal. 118. v. 5. 9. notetur insuper ex hoc Psalmo, & ad u-
sum transferatur fiducia Davidica. In Domino incipit,
v. 1. cum Domino pergit, v. 3. cum Domino continuat,
v. 4. in Domino exultat, v. 5. 6. Dominum invocat,
v. 7. cum Domino concludit, v. 8. Did. & concl. Ex Psal.
44. v. 24. seqq. ut tuti dicamus ex Mich. 7. v. 7.

Concio 2.

Paraf. Psal. 34. v. 9. 10. 11. Text. Psal. 21. totus,

Exordiū loco dicatur brevibus de summa & titulo hu-
jus Psalmi, qui est gratulatorius; quo David, (etiam hic
typum Christi sustinens) victis hostibus, Ammonitis &
Syris, ut quidam volunt, sibi gratulatur ac populo, & po-
pulus vicissim ipsi, de successu regni sui, & victorioso im-
perio. Traditus est hic Psalmus, (ut habeat titulus, cuius
varia sunt explicationes) Præcentori, h. e. Magistro cho-
ri symphoniaci, ut illum ad fides decantaret

Partes

Parte: I. *Textus Expl.* II. *Applicatio;*

Inī, *Textus expl.* considerandum, quod contineatur hoc Psalmō (A) *Graiarum Actio*, quæ varia enumerat Dei Beneficia erga Davidem, (& quatenus David in hoc Psalmō typum Christi gessit, etiam erga Christum, secundum humanam naturam,) quorum

1. *Victoria de hostibus*, v. 2. *Jehovah*, (vid. v. 1. Ps. 3.) *in robore tuo*, h. e. propter robur tuum in prælio supereditatum, *Lætatur Rex*, (non tam personam, quam officij maiestatem extollit David) *Ego in salute tua*, h. e. de ope salutari, quâ eum è periculis eripuisti, victoriamq; concessisti: *exultat quam vehementissime*

2. *Exauditio precum* v. 3. *Desiderium cordis ejus*, h. e. rem valdè desideratam, victoriam nimirum de hostibus, *dedisti ei: Ego prolationem labiorum ejus*, h. e. rem in precibus prolatam seu nominatam, non dengasti, *Selab.* q. d. ô admirabilem benevolentiam!

3. *Opes*, v. 4. *quoniam prævenis eum*, antevertis & præoccupas, more victorum in stadio currentium, vel in prælio antevertentium, *Benedictionibus boni*, (est pleonasmus emphaticus, quo omne benedictionis genus notatur, redundans etiam in nihil tale cogitantem,) leg. *I. Sam. 16. v. 11. 12. 13.* Hinc sequitur

4. *Majestas Regia*, v. 4. *imponis capiti ejus coronam auream*, regnum ejus stabiliendo; *Corona enim h. l. regnum & imperium notat*, sicut *Esa.. 28. vers. 1. &c.* (quatenus Regnum Christi hoc versiculo præfiguratur, commode allegari potest illud *Col. 2. v. 3.* item *Psal. 8. verl. 5. 6. 7.*)

5. *Vita conservatio & longævitas.* v. 5. *vita mea petet a te,*
 &c. prolongata enim est vita Davidis ad ultimum senium;
 & is Regnum successor Filio tradens, satur dierum dis-
 cessit. leg. 1. Chron. 30. v. 28. conf. Psal. 61. v. 7. (nec in-
 concinne ipsi antitypo haec applicantur, & explicantur
 ex Joh. 12. v. 27. 28. & 17. vers. 1. 5.)

6. *Beneficentia continuatio.* v. 6. *Magna Gloria ejus*
in salute tua, h. e. per opem, quam tulisti ei magnam
gloriam adeptus est, gloriam & decorem posuisti super
eum, i. e. celebritate, magnificientia, & splendore corona-
 sti; (leg. hist. Davidis, & si de Christo hec intelligentur, Ps. 8. v. 6.)

7. *In Deo latitia.* v. 7. *Nam posuisti eum benedicti-*
ones, h. e. reddidisti eum summè benedictum, sive
 beneficijs cumulatissimum: *in seculum,* (Vox Hebr.
 notat plerumq; seculum, item longum tempus, cuius fi-
 nis est absconditus, sic Exod. 21. v. 6. & 1. Sam. 27. v. 12:
Exhilarasti eum in gaudio cum vultu tuo, h. e.
 favore tuo, quum favente & benigno vultu eum fueris
 intuitus. conf. Psal. 42. vers. 6. 12.

8. *In felici statu conservatio.* v. 8. *Quoniam Rex &c.*
non commovebitur, h. e. non nutabit vel declinabit;
 seu in calamitatem gravem vel ipsam ruinam non inci-
 det, (pro ut vox Hebr. b. l. & Psal. 15. vers. ult. commodè
 explicari potest.)

B. *Ulterior in Deo confidentia,* qui omnes hostes suos,
 qui etiam fuere Davidis, sit perditurus, (quod iterum
 cum Christo, tum etiam Davidi applicari potest) idq;

1. *Proponitur,* v. 9. *invenies manus tua* (ô leborah,
 quod ex v. 2. repetendum erit) *omnes inimicos tuos,*

Edextra, Ec. licet Deus sit spiritus, manus & dextra tamen ei in S. script. tribuitur, & notat cum omnipotentem ejus virtutem, seu divinam omnipotentiam, ut Psal. 77. v. 11. tum vindictam & ultionem de hostibus, ut h. l. & Exod. 3. v. 20. &c.

2. Modus quo perdendi sunt, indigitatur, v. 10; 11. 13. **E**rratio additur, v. 12. Sic enim minatur eis ruinam v. 10. **p**ones eos ut ciborum ignis, h. e. ut ligna in cibario leg. Mal. 4. v. 1. **E** in tempore facierum tuarum, i. e. iræ tuæ, confer. Psal. 34. v. 17. (sic a. reddere jubet text. orig. & contextus) **D**ominus in furore suo (mutat, personæ certitudinem indicat) absorbebit eos, **E** comedet eos ignis: quemadmodum cibanus, ita ignis, Deut. 32. v. 22. item absorbere, Num: 16. v: 30: 32. & comedere Esa: 1. v. 20. **E** alijs in locis, exitum tristissimum, eumq; tam temporalem, quam æternalem, notat.

v. 11. **F**ructum eorum de terrâ perdes, Ec. per fructum h. l. intelligi potest, vel omne id, quod ab ipsorum ingenij, studijs, impendijs, laboribusq; proficitur, vel denotatur idem quod semen, & sic idem alii verbis inculcatur; **D**eus ergo fortis est zelotes, Ec. leg. Exord. 20. v. 5.

v. 12. **Q**uoniam declinaverunt (intenderunt) super te tuosq; malum: cogitaverunt cogitationem, (sive scelus sive dolus) & non potuerunt perficere. Deus enim clypeus, vid. Psal: 3. v. 3: 4. 5. 6.

v. 13. **Q**uia pones eos humerum, Ec. per humerum intelligitur onus, servitus, fuga, conf. text. orig. Gen. 49. v: 15. per sagittas indigitatur vis Dei ultrix, seu horrendæ

31
88

tendæ & improvisæ calamitates divinitus immisæ, *leg.*
Deut. 32. v. 23. & *job.* 6. v. 4. ut sit sensus: conjicies eos in fur-
gam, perpetuo vertant tergum, ac humerum subiçet: tamē
non sic effugient, quia fugientibus occurreret sagittis tuis.

(C) *Conclusio*, quæ continet *susprium* & *encomium*, v. 14.
Exaltate, *&c.* vid. *Psal.* 3. v. 7. pag. 25. & *catabimus*,
&c. quod non neglexit David, ut patet ex *Psalterio*.

II. *Applicatio*, & quidem ad *Nos.*

Devotio Davidis in Laudibus Deo decantandis, &
precibus ad eum fundendis, excitabit & *Nos.* i. *Ad fre-
quentem gratiarum actionem*, idq; pro ijsdem beneficijs,
quæ hic enumerantur v. 2: 3. 4. 5. 6. 7. 8. (*Deducatur per
singula*) 2. *Ad indissensibilem orationem*, & quidem cum fi-
dicia, de omnibus necessarijs, præcipue autem hoc tem-
pore, contra hostes: *did.* ex v. 9. & seqq. *applicetur*, & con-
cludatur eodem, quo cæptum est, *dicto*, ex *Psl.* 34. v. 10.

Concio 3.

Paræc. de laude *Psalterij*: quod dicitur cornucopiae o-
mnis doctrinæ: continet n. doctrinas: consol. preces: gratis
arum actiones. *Did.*

Textus, *Psal.* 67. totus.

Exord: concludimus jam, Dei beneficj, solennes hosce dies publ. pres-
cum; & hoc concinniori textu fieri non potest, quam hoc *Psalmo*, qui
continet benedictionem sacerdotalem à Deo mandatam *Num.* 6. v. 24. Dicis
tur a. hic *Psalmus*, cum additamento; *Psalmus cantici*, qui (crebro &
summâ cum jucunditate cantabatur, &) victori, h. e. illi qui alijs in arte
musica præstantior fuit, traditus est, ut ad instrumenta caneretur, conf. 1.
Chron. 15. v. 16.

Partes, 1. *Textus Explicatio*; II. *Applicatio*

In 1. Reperitur (A) Benedictio Divina expedita, v. 2. *Deus misereatur
nostrj*, &c. Hæc Benedictio cum uberioribus verbis ex *Num.* 6. v. 24. 25.
26. quotidie in nostris Ecclesijs recitatetur, lubet eam in gratiam Φιλομάθ
S. 88

148
 Θωρ ολιγοις ταραχησεν. **Dominus**, (Deus Pater, Fons Divinitatis) benedicat tibi, expl. ex Eph. 1. v. 3. & Jas. 1. V. 17. **Et custodiatur**, expl. ex Job. 7. 20, Psal. 121. v. 4, add. Psal. 17. v. 8. **Dominus** (Deus Filius, qui descendit de celo, Joh. 6. v. 38, homo factus, passus, mortuus, &c. sanguine suo emundans nos, 1. Joh. 1. v. 7) **illuminet faciem suam tibi**: h. e. notum faciet seipsum tibi, cum omnibus beneficijs, in suo evangelio, quod attulit e fini patris, Joh. 1. v. 18, in cuius notitia est vita eterna, Joh. 17. V. 3. **Et misereatur tui**; h. e. propter suum meritum remittat peccata: imputet iustitiam, & interpellat prote 1. Cor. 1. v. 30. 1. Joh. 2 v 1 2 Rōm 8 v 32 33 34. **Dominus** (Deus spiritus sanctus) **attollat vultum suum ad te**, h. e. per verbum & sacramenta inculcat & stabilit Gratiam Dei, meritum Christi, & fidem accendat. Sie enim attollimus nos a terra nisi ad spiritualia, ab hoc ergastulo ad eterna tabernacula. **Ego detibipacem** cum Deo & conscientia, adversus satanam, propriam tuam carnem, & mundum, donec cum pace discedas in eternam requiem, Rōm. 5. v. 1. & 8. v. 35. & Luc. 2. v. 29. conf. expl. B. Lutheri, in Art. I. II. & III. symb. Apoſt. V. 3. **Ad cognoscendum in terra viam tuam**, h. e. ut sciamus modum, quo nos gentesq; salvati: additur enim, & in **orribus gentibus salutem tuam**. Lætatur hic David cum omnibus pijs in conversione gentium, quam iudæi ipsis invidunt, Act. 3. v. 45. & 22. v. 21. 22.

(B) **Vocatio Gentium** prædicta v 4 Tunc **celebrabunt Te, o Deus, populi**, **Te celebrabunt omnes populi**. Hæc eadem celebratio ipsdem verbis iteratur v. 6. quæ quia quæter repetita legitur, rem novam & insolitam notat, in V. T. promissam, in N. autem completam, leg. Gen. 22. v. 8. Hag. 2. v. 8. & Tit. 2. II. Pronomen Te similiter quatror vicibus lectum, Deos alienos excludit.

V. 5. **Latentur et exultent gentes**, &c. expl & did. ex Eph. 2. v. II. 12. 13. 14. 19. 20. 21. 22.

(C) **Fertilitas depicta**, v. 7. 8. **Terra dedit &c.** quæ de benedictionibus tñm terrenis, Prov. 10. v. 21. quam spiritualibus Eph. v. 37. intelligi potest, & hinc timebunt eum omnes fines terra. Psal. 117.

II. **Applicatio ad nos**, hisce observatis, sponte fluit; proinde concludens dum suspiris & votis.

ERRATA, præter leviora, sic corrigantur: pag. 3. lin. 10. leg. ejus. pag. 4. lin. 24. leg. præsertim. pag. 7. lin. 1. leg. populum. p. 9. l. 4. leg. colore. lin. 12. leg. recalcitravit. pag. 15. lin. 6. leg. externum. lin. 15. leg. & alibi. p. 19. lin. 3. leg. quarete. p. 20. l. 2. leg. immensa. lin. 19. leg. pretiosissimum. p. 24. lin. 27. leg. s. vel. autem.